

Supplicatio pro indulto cucullo ad Sanctissimum.
Handlung zu Rom wegen der Kutten Anno 1528.

Beatissime Pater, post obsequiorum nostrorum humilem & devotam commendationem, quam ardentibus votis nos infra nominati Beatissimæ paternitatis vestræ studiosi & humiles servitores exoptemus Status Apostolici Catholicæque Ecclesiæ perpetuum & constans incrementum, christianæque fidei in toto terrarum orbe immunitatem & propagationem, tametsi speramus B. p. vestram de nobis nihil omnino dubitare, tamen ut nunc est miserrimus rerum publicarum status, adeoque christianæ religionis calamitosa, & vere deploranda undiquaque perturbatio: si quorum animi plane nihil commoveantur ista colluctatione cum in rebus spiritualibus tum temporalibus, videantur illi nobis veluti extra humanum statum positi esse. Quamvis itaque nos hætenus, etiam in medio æstu bellorum & seditionum, nihil prætermiserimus eorum, quæ ad communem christianam religionem, deinde etiam ad professionis nostræ instituta & observantias singulariter adtinent, præterquam quod pro cuculli habitu, annuente & permittente B. p. vestra, in Ecclesia vel choro candida vulgarique sacerdotum ex lino veste, & extra sacra vel Ecclesiam alioquin decenti nigro habitu, tunicis scilicet ad pedes usque porrectis, religiosissime & reverenter usi sumus. Quo etiam factum est, cum multa circum nos & in aliis plerisque Germaniæ superioris partibus monasteria, in rusticano motu misere deperdita vexataque, quædam omnino direpta funditusque extirpata, & quorundam reliquiæ post à nonnullis occupata sint, ut nos divina ope & clementia hucusque violentas evaserimus manus. Existunt tamen nunc quidam, qui eo colore & prætextu præsumant, nos quibusdam proventibus, & redditibus ad Coenobium nostrum spectantibus, & de quibus antehac non fuit ulla controversia, privare. Cum vero si ad pristinam formam reasumpto cucullo modo nos comparare maxime conemur, ex adverso decuplo majus dispendium rerum nostrarum non tantum nobis metuendum sit, sed certo ob oculos adverteret & immineat, nec quicquam nobis certius expectandum sit, quam ut volentes vitare Charybdim incidamus in Scyllam, in tanta hominum & animorum dissensione, sectarumque varietate, adeoque cuculli extremo odio, quæ omnia adhuc apud nos, ut exarserunt, ardentissime flagrant & durant, majoreque contentione quam unquam alias propter multorum magni nominis auctoritates, quæ accesserunt, res gerantur. Quemadmodum non dubitamus, B. p. vestram, cujusmodi rerum status nunc apud nos & in omnibus pene Germaniæ partibus fiet, multo certius ac magis exploratum habere, quam nos scribere possimus, præterquam quod summe & liquido affirmamus, turbas & controversias ac ex iis calamitates majores esse penes nos quam à nobis referantur, aut quisquam ab iis alienus & inexpertus bene credere possit. Et subiinde speremus tamen aliquando futurum, ut ad piam concordiam & unanimes christianam religionem ac fidem hæc dissensio redeat, neque iste rerum status qui nunc est in tanta discordia, nisi rebus afflictis matura aliqua moderatione aut medela tandem succurratur, porro sic perstare possit. Ut igitur nos tanquam in umbra & abditis latentes interim continere possimus, neque tanquam præda huic aut alteri parti exponamur: Oramus & quibus maxime possumus aut debemus precibus obsecramus humiliter B. p. vestram tanquam patrem & dominum nostrum clementissimum, ut B. p. vestra, propter commemoratas causas, indulgeat nobis ad decennium proxime sequens, absque aut pro cucullis, decenti alioqui habitu & eo, quo per aliquot annos nunc extra & intra Ecclesiam nostri Coenobii usi sumus, quemadmodum supra exposuimus, cum singulari & speciali ad hoc sub plumbo & in debita forma dato & concessio privilegio uti. In quo cum nihil aliud quærimus, quam necessitate sic postulante, tempori instanti inservire, ejusque incommoditatibus parumper cedere. Ac etiam canonica sanctione teste, id quod alioqui illicitum fuerat, necessitas urgens licitum faciat, ejusque rei quædam vestigia & exempla à Christo Salvatore nostro & apostolis, & per plurima à sanctis patribus habeamus, speramus indubitanter B. p. vestram nostras preces exauditorum. Quam recte in Christo valere, & ad sanctæ christianæ religionis ac fidei nostræ restaurandam concordiam diu superstitem esse summe optamus & precamur, nosque eidem ut patri nostro clementissimo commendamus, &c.

Dieser